

tamen eius, pro maiori parte, experti sumus: & meliorem quam  
 putabamus, inuenimus. Sed sciendum, quod melior ambram est  
 illa, quae est grisea: & post ipsam est illa, quae trahit ad  
 quaedam citrinitatem. Nigra vero, & alba, sunt mala: quae  
 propter, in medicinis non sunt administrandae. Quare au-  
 tem ab ignavis dicatur Ambracani, lege infra in gallia muica  
 na. Est etiam & alia res, quae ambram, vel ambrum, vel ambar,  
 siue ampar caninum dicitur, quod tenetur esse generis electri,  
 quodque Hermolaus, corollario 119. succinum orientale nomi-  
 nat, & pro charabe quidem, a nonnullis accipitur. Lege de hoc  
 in trochiscis de charabe. Est quoque aliud genus lapidis ni-  
 gerrimi, quem ambrum nigrum vulgo vocant. Supradictum  
 autem ambrum giallum, id est citrinum nominant. Et de his  
 generibus indices, quae coronae dicuntur, ad persolendum  
 Deo Christo seruatori nostro & virgini Mariae matri eius  
 laudes, & grates, parantur. Et huiusmodi indicum genera,  
 mulieribus maxime placent.

Confectio de cinnamomo, &c. XXXII.



**Q**UAERE dicatur de cinnamomo praesens esse  
 etio haud est qui ignoret. Sed sciendum, quod in  
 ipsius descriptione, per omnes excusiones sunt  
 duo errores. Primus ubi legitur: Darseni, cymi-  
 ni, legendum est rectius: Darseni cinnami &  
 est vna res tantum, ut mox declarabimus. Alius error est ubi  
 legitur: Gariofilorum, piperis longi, &c. ana. 3. iij. legendum  
 est verius ana 3. ij. quia sic est, secundum veritatem; in cun-  
 ctis exemplaribus antiquis, & correctis libris. Auicenna  
 quidem in quinto can. habet vnum electuarium de cinna-  
 momo, quod differt ab ista confectioe.

De Cinnamomo, Darseni, Cinnamo, Casia,  
 & Casia fistula.

**C**Larum est apud Serapionem, quod cinnamomum est dar-  
 seni, & darseni est cinnamomum. Inquit enim Serapio:  
 Darseni, id est cinnamomum. Et sequitur, cum autoritate Dio-  
 scoridis quod varie nominatur a varietate linguarum & lo-  
 corum, ubi reperitur: & non curat nunc illud vno, nunc alio  
 nomine vocare, scilicet nunc darseni, & nunc cinnamomum.  
 Et loquens de vna & eadem specie, primum vocat eam dar-  
 seni, dicens: Et darseni quidem multae sunt species, & denomi-  
 natur, &c. Hinc sequens dicit: Et melius cinnamomum ex  
 ista specie, est illud &c. Quamobrem patet, quod darseni